C. R. BIBLIOTHECA UNIVERS. JAGELL. CRACOVIENSIS
V B J C
17031
kat. komp.
I | Mag. St. Dr. | P

...tius

Bieżanowski Stanislai: Orpheus Sarmaticus piis Musarum lacrymis deploratus.

PANEG. et VITAE
Polon. 4o
№ 894.

ORPHEVS SARMATICVS,

piis Musarum lacrymis deploratus,

ET IN FVNERE

Clarissimi ac Magnifici Domini,

D. LAVRENTII SMIESZKOWICZ,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS,

Almæ Vniuersit: Crac.

PROCANCELLARII,

& GENERALIS RECTORIS Vigilantissimi,

Patris Patriæ Academicæ desideratissimi,

A STANISLAO BIEZANOWSKI, Artium & Philosoph. Baccal. debito cum dolore

posthumae memoriae d. cq.

ANNO DOMINI, 1646. die 26. Septembris.

XIII. 121

83.

Seneca Epistola 2. Libri 4.

Mortem venientem nemo hilaris excipit, nisi qui se ad illam diu composuit. Tu autem mortem, vt nunquam timeas, semper cogita.

1703i I

BIBLIOTH: UNIV: JAGELLONICAE

Perillustri & Admodum Reuerendo Domino

D. ADAMO OPATOVIO

S. T. D. ac Professori, Canonico Cracouien̄.

Clarissimi olim ac Magnifici Domini

D. LAVRENTII SMIESZKOWIC

Philosophiæ ac Medicinæ Doctoris,

Optimi Litterarum Mæcenatis,

VLTIMÆ VOLVNTATIS EXECVTORI,

Domino & Patrono meo Amplissimo S. & P.

LVgubres Tibi Perillustris, & Admodum Reuerende Domine Camænas sisto, lacbrymas iusto dolore expressas offero, quibus nuper genæ nostræ madidæ factæ sunt, dùm Magnum Magni Lycæi Patronum grauissimo oppressi mærore, lugeremus. Pullatam cobortem hîc intueberis Perillustris & Admodum Reuerende Domine, decoris nihil, venustatis exiguum: omnia squallida & semimortua, atq; adeò ipsos Cytharæ sonos dissonos, & funestum quidpiam obstrepentes. Et merito. Perdidimus enim corculum Camænarum, ocellum eruditorum, Suadam Sarmaticam, Togæ inclytum decus, omnisq; puræ Patrem elegantiæ, cuius inclyto cineri ne Heraclitus quidem ipse debitas lacbrymas persoluere potuisset. Decerpsit Parca ferox è vinea nostra Academica botrum vberrimum, & præstantissimum: atq; adeò ob amissos Clariss: Professores, nostros irridens singultus, præacuta falce maturos fructus tollere properauit. Equidem Perillustris & Admodum Reuerende Domine Tarquinianam iam crudeles Furiæ exercent Tyrannidem, quæ nonnisi summa capita papauerum,

Viros

Viros nempè omni genere virtutis, eruditionis, atq; integritatis conspicuos prosternunt: quorum nobis hoc fatali anno tres integerrimæ animulæ, ad æternum Cælestium Indigetum euolarunt Prytanæum. Porrò ne quid ad summum deesset flagitium, gubernatorem nobis præripuerunt, orbatos fasces, desolatum regimen, conuulsum Magistratum reliquerunt: vt vndè quondàm maximum solatium, indè grauissimum dolorem caperemus. Proindè Perillustris & Admodum Reuerende Domine, mœsta Musarum caterua vestem mutauit, & ne erga Magnum sui honoris Promotorem ingrata videretur, hìc vnà mecum ad fatalem vrnam accessit, vltimumq; hoc grati animi Mnemnosynon reliquit, dum funebres nænias pijs incliti Mæcenatis Manibus cecinit, & æternæ memoriæ consecrauit. Ad Tuum verò Perillustris & Admodum Reuerende Domine patrocinium, ideò hìc pullatus accessit Chorus, quia Te cognouit omnis humanitatis & benignitatis Parentem amplissimum, atq; adeò ipsius Defuncti Mæcenatis fidelissimum Præceptorem. Quoniam autem piæ memoriæ Clarissimus Vir ex Perillustris & Admodum Reuerendæ Paternitatis Tuæ felici admodum institutione, ad stationem olim Academicam hæsit, & desudauit, & nunc consummatæ iam virtutis & eruditionis assertor, in Tuis manibus integerrimum supremo rerum omnium Moderatori DEO *spiritum reddidit, idcircò dolor Tuus nobiscum quidem communis est, sed Tibi tamen maximus, qui quoties benignæ illius Tuæ sementis, messem videbas copiosam, toties incredibili lætitiâ perfusus, lectissimum ac nobilissimum nostri Parnassi intuebaris vnionem. Ad quem ergò maxima pars mæroris huius peruenit, ad eum etiam tristes Camænæ properârunt, & se iusto dolori comites, atq; adeò antesignanas præbuerunt. Erige itaq; Perillustris & Admodum Reuerende Domine, depressos mærore animos, suscipe lugentem Pieridum phalangem, & me ipsum earum alumnum, singulari fauore Tuo complectere. Datum è Musæo Cynersciano, Anno Domini 1646. die 25. Septembr.*

Perillustris & Adm. R. Paternitatis Tuæ
Cliens humillimus

Stanislaus Biezanowski
Artium & Philos. Baccalau.

NÆNIA PRIMA.

Triſtes Elegi Poetæ.

COnquerar! an ſileam? dirumnè explebo dolorem!
Nùm poterunt lachrymis ora vacare mea!
Eheù, nùm molles feriam plangore lacertos?
Vertice diſiecto nùm laniabo comas?
Ite ite in lachrymas, lugubria fundite verba
Qui Muſas colitis Pieridumq; nemus.
En ego qui ſacrum nupèr meditabar amorem,
Et Magno ſolui debita vota Deo,
Nunc lachrymas, gemitus, ſuſpiria fundere cogor,
Et tangenda chelis pectine luctiſono.
Fidere nil tutum eſt, ſpes heù voluuntur inanes,
Quod minimè credas, id tibi ſæpè venit.
Gens vitæ ſecura ſumus, mactamur inique,
Nec rea quod iuſtè terra queratur habet.
Ite ite in lachrymas, lugubria fundite verba,
Qui Muſas colitis Pieridumq; nemus.
Nil niſi mæſta placent, ſola eſt lugere voluptas,
Nàm iuuat in tantis, plùs doluiſſe malis.
Heù properent gemitus, lachrymæ properate fideles,
Singultuque comes rauca querela veni.
Palladij iuuenes, gratiſsima pectora Phæbo,
Plangite, nàm doctos trux Libitina metit.

Flos hominum rapitur, rapitur ſoboleſque Deorum,
Vix capiunt magni quos pia regna poli.
Mærent cum trabeis faſces, cum plebe Curules,
Siſtit Apollineas, vltima meta rotas.
Mutarunt en fata vices, ſecreta Lycæi,
Irridens ſpreuit ferrea Perſephone.
Occidit heù Magnus Patriæ Pater, occidit ille,
Cuius ad occaſum mæſtus Apollo gemit.
Occidit Heſperidum columen, decus occidit Vrbis,
Sarmatici primas quæ tenet imperij.
Occidit heù clarum nobis iubar, vnicus Atlas,
Notaque Sarmatico lingua ſub axe, ſilet.
Cui ſua Phyllirides Amathoniuſque Melampus,
Cui ſua Pergameus credidit auſa ſenex.
Sacraque præclarus dederat conſulta Machaon,
Et veteres Graiûm terra recluſit opes.
Quæ Còí docet arcta Patris, quæ fuſa Galeni,
Pagina, quæ medicus pharmaca ſcripſit Arabs.
Quidquid fatales potuit tardare Sorores,
Lentiùs, & dirum iuſsit adeſſe diem.
Et quid quæque ferat regio, quid ferre recuſet,
Vt timidus medicam poſtulet æger opem.
Nouerat ille; tamen rigidi inclementia fati,
Reſpexit tantum corripuitque caput.
Ite i e in lachrymas lugubria fundite verba,
Qui Muſas colitis, Pieridumq́ nemus.
Non iam progreditur priſco ſapientia faſtu,
Nec ſua purgari dogmata Stoa ſtupet.

Docta

Docta Cleanthææ cecidit ſolertia turbæ,
Socraticumque vigil cura refugit opus.
Heù fugiunt Suadæ, fugiunt caſtique lepores,
Proch dolor, ingenij luxuriantis opes.
Deliciæ Latij ſermonis, floſque Pelaſgi,
Ipſaque Romani lingua diſerta fori.
Aufertur procul hinc, dulcis Charitumque venuſtas,
Tòt ſine dente ſales, tòt ſine fraude ioci.
Iàm grauitas veneranda cadit, moreſque ſeueri,
Verbaque maturo digna ſupercilio;
Et decus Aonidûm, noſtræque arcana Mineruæ,
Auſoniumque canens docta Thalia melos,
Cùm domino intereunt, mæretque relictus Apollo,
Nec ſacrata ſibi limina Pallas habet.
Ite ite in lachrymas, lugubria fundite verba,
Qui Muſas colitis, Pieridumq; nemus.
Scilicèt hæc noſtris reſtabant vltima fatis,
Totus vt heù noſter morte periret honos.
Dic tibi quid nocuit, dic implacabile Fatum,
Mæcenas meritis, & pietate Parens.
Quòt nobis clades lethum crudele dediſti?
Portaſti hoccè malo quàm numeroſa mala!
E viuis iam iam Magnus SMIESZKOVIVS iuit,
Eheù, cùr tantum, mors tibi ſæua licèt.
Audebaſnè virum hunc crudeli ſternere falce?
Quem flerent ſuperi, ſi modò flere queant!
Aſt vos plangite Pierides Heliconis alumnæ,
Plangite, namque meas deferit vnda genas.

NÆNIA

NÆNIA SECVNDA
Lugubres Phaleuci Musarum.
CLIO.

O fati feritas atrocioris,
Nostris pascere cladibus proterua,
Ah nondùm satura es? sed impudenter,
Pergis pergere, nec futurus vnquam
Finis est veterum Tibi malorum,
Deuotas animas perennitati,
Tollis, & spolijs Tibi pharetras
Victrices, oneras fatis malignis.
O vos ô numeri phaleuciornm
Vos, inquam, numeri seueriores
Adeste Hendecasyllabi quot estis
Omnes vndiq; quotquot estis omnes:
Nostros ad gemitus rogo venite
Nobiscum sociate quæso luctus.
Ille SMIESZKOVIVS, Latina Phæbe,
Orpheus Sarmaticus, Polona Siren,
Antiquæ decus eruditionis,
Omnium Pater elegantiarum,
Culto pectore, moribus venustis,
Mellitum iubar Attici leporis,
Noster Mæonides, Apollo noster,
Ablatus, superos adit Quirites.

Qui

Qui puro niueæ colore mentis,
Vincebat nitidiſsimos olores;
Vni cui Charitum ſales beatos
Cui fontes dederat ſcientiarum
Phæbus, cui Latiæ melos Camænæ
Debent, quodquod habent Polonæ Athenæ,
Cantus quidquid habent venuſtioris
Motus quidquid habent beatioris.
O ſæuæ nimium malæque Parcæ
Noſtrarum optimus ipſe litterarum
Mæcenas, pius & Parens, & author,
Veſtros non potuit tenere fuſos,
Veſtras non potuit colos morari.
Cuius ad cineres ego beatos
Hæc pono monumenta veri honoris
Has inquam lachrymas acerbiores.

NÆNIA TERTIA
MELPOMENE.

VMbræ frigidulæ, arborum ſuſurri,
Antrà roſcida, diſcolore picta
Tellus gramine, fontium loquaces
Lymphæ, garrulæ aues, amica nobis
Turba, Pegaſides Deæ valete.
O molles elegi, Lyræque dulces
O & myrthea ſerta, fiſtulæque,
Vos Fauni Dryadeſquè iam valete.

Orpheûs Sarmatici furoris ille
Cuius Carpathias melos cauernas
Sedibus proprijs procul mouebat.
Qui mulcere feras ſolebat, atq́ue
Ipſa flumina concitata quamuis,
Qui ſummos Proceres, & Optimates
Fortunamq́ue adeò bonis nouercam
Cantu conciliauit eleganti.
Hic inquàm occidit, occidit malignè.

Chorus Muſarum.

Quid fles Melpomene venuſta, quid fles!
Ah pluſquàm ſatis, ah ſatis ſuperq́ue
Indultum lachrymis, doloribuſq́ue
Magnum SMIESZKOVIVM àn putas in vrna
Condi, vel tumulo ſub hoc manere.
Nàm licet tenues ſibi fauillas
Vendicat tumulus, ſed ille mentis
Nobilis Genius ſerenioris
Æternùm viget, ac vigebit, vſq́ue
Dùm Phæbus nitidos reget iugales.
Ergò pelle procul truces dolores.

Melpomene.

Vos nè vos lachrymas mihi Sorores
Aufertis nimiùm impiæ Sorores.
Torrentem potius mihi dolorum
Et mæſtos gemitus, vagoſq́ue luctus,
Et ſuſpiria nunc frequentiora

Ferte,

Ferte, verbaque mille, mille, mille.
Hunc ne ego potero virum tacere?
Qui quondàm ſtudij benignioris
Primos Brezinijs tulit labores,
Ætatem & teneram mihi ſacrauit.
Namque *Lampadij* illius Ioannis
Cui Cynthi Deus, & nouem Sorores
Caſta Cecropio labella melle
Tinxerant, nitidos priùs colores,
Poſt culti decus oris, ingeniique
Rari delicias, & elegantem
Maieſtatem animi ſerenioris
Olim floſculus hauſerat tenellus.
Linguam Graiugenûm, melos Pelaſgum
Norat paruus adhùc, ſenexque nupèr
Alter vt merito Budæus eſſet.
Hunc ne ego potero virum tacere?
Qui poſtquàm Craciam attigit Camænam
Et dextræ datus *Opatouianæ*,
Dextræ inquam genij beatioris,
Laureas ſubito petit coronas,
Fitque Pieridum iubar Sororum.
Statim cui chorus elegantiarum
Hinc blandè adſilit, hinc fauet Venuſtas,
Hinc plaudent teneri omnium lepores,
Qui illum vix puerum, imo vagientem
Cinxerunt hederâ, & virente lauro,
Et quâ Pegaſus euocauit vndam

Æternos latices huic rigarunt.
Hunc nè ego potero Virum tacere?
Qui primus tetigit laboriosum
Rhetorum officium, decusq; Suadæ
Heros quòd *Nouoduorscius* pararat.
Et qui Tylicij secundus auspex
Muneris fuerat, nouumq; Sydus
Pòst magni *Halicij* pios labores.
Quam quidem satis arduam palæstram
Ille vt rexerit omnium fatentur
Linguæ, posteritasque non silebit
Donèc vnda maris dabit procellas.
Hunc nè ego potero Virum tacere?
Quo non arte fuit prior medendi
Aut Asclepius, aut senex Machaon,
Aùt magnus Podalirius, dolorum
Morborumque Dij, nec ipse Apollo.
Hunc nè ego potero Virum tacere?
Qui semper coluit chelyn canoram
Et Graiam simul & simul Latinam:
Cuius aurea *Lilla*, Gratiarum
Munus eximium Venustiorum
Venturam meruit perennitatem.
Lilla quam stupet Orbis Vniuersus,
Lilla Pontifici probata sacro,
Lilla amor Charitum, lèposq; dulcis
Quâ nil pulchriùs, àptiusue fingas.
Hunc nè ego potero Virum tacere?

Chorus

Chorus.

Scimus nunc miseræ Tuos dolores,
Mœstas & lachrymas Tuas probamus,
Iunge nos comites Tibi fideles
Ploremusque Academicum Vnionem.

Melpomene.

Debitum officium datis Sorores
Verùm sufficit, & satis superque
Lugebam, potiusque dedicate
Manes SMIESZKOVIOS perennitati:

Chorus Mus:

Quot spicæ Lybicis calent in agris,
Quòt vindemia porrigit racemos,
Quòt vastis mare fluctuat procellis,
Quot nascens pluuias reportat hædus,
Quot Ceraunia frondibus teguntur,
Quòd Cælum facibus micat serenum,
Quotque sunt atomi Lucretianæ,
Tot menses, bone SMIESZKOVI, tot annos
Viuant deliciæ Tui leporis,
Viuat *Lilla* Tuæ columna famæ
Viuant aureoli Tui libelli.
Nos verò tumulos Tibi modestos,
Luctus, & gemitus seueriores,
Cùm Lyra, cytharam, chelynque suauem
Et Laurum velut Orpheo Polono
Ad bustum cineris Tui dicamus

TVMVLVS I.

Thaliæ dolentis.

Da ſacro cineri flores: hic ille Polonus
Orpheûs, hic Phæbi gloria menſque iacet.
Dictum habeas ſatis: ah nè lector plura requiras,
Plura vetant lachrymæ, tu quoq; da lachrymas.

II.

Euterpe.

Flete Deæ Charites, Latiæ, Graiæque Camænæ
Veſter enim Cygnus Sarmaticuſque perit.

III.

Terpſichore.

Dilectus Phæbo & Muſis SMIESZKOVIVS ille
Hic ſitus eſt: natus Pieridum in gremio.

IV.

Erato.

SMIESZKOVII hunc tumulum nè quiſquam crede Viator
Cuî ſunt doctorum pectora, Sarcophagus.

V.

Vraniæ

Bruta Orpheûs, ſaxa Amphiôn, delphinas Arion.
Traxit, at olim hominum pectora SMIESZKOVIVS.
Tullius attraxit pectora quondam hominum.

VI.

VI.

Polyhymniæ.

Manes SMIESZKOVII hic: ſatis hoc: nàm cætera clarent
Quo ſe cunque decus protulit eloquij.

EPIGRAMMA.

Viderat egregium nuper dum carmen Apollo
SMIESZKOVII, dulces obſtupuitque ſonos.
Miratus fatur tandem, aut non occidit vnquam
Orpheûs, aùt alium Sarmata fortis habet.



BIBLIOTH. UNIV.
JAG... NICAE

Biblioteka Jagiellońska
stdr0002786